

1525. a. 12. Ianuarij

Ludovicus Hungariae et Bohemiae
rex, Sigismundo primo regi Poloniae.

2

Serenissime princeps patriae noster cha:
rissime. Rationes vestrae maiestatis, qui:
bus impedita ad festum Epiphaniarum
Domini, proxime praeteritum, aut venire
aut mittere commissarios Posonium, Pru:
tenica controversia cognoscenda et com:
ponenda gratia, sicuti nos una cum
serenissimo fratre nostro archiduce vehe:
menter optabamus, non potuerit, ex pro:
ximis eius literis abunde intelleximus.
Non fuit profecto huius nostri desiderii
alia causa, quam quod videbamus esse
admodum periculosum, in hoc mutantis
regni nostri, et totius christiana repu:
blica statu, inter maiestatem vestram,
et illustrem Borussia magistrum, aliquas
renascentis belli causas superesse, praes:
sertim cum inter ceteros nostra fidei
principes: uti maiestati vestrae notum es:
se arbitramur: acriores quotidie conten:
tiones et bellorum flammae exitentur.
Habuimus etiam in animo, quibus cum
hostibus assidue vestra maiestas collu:
ctetur: de Turcis, Moschis et Tartaris lo:
quimur: nec putabamus posse fieri, ut
eodem tempore et his resistere, et Pru:
tenicum

teniam bellum commode posset instaurare. Nos de responso et rationibus, quas affert maiestas vestra, fratrem nostrum principem Ferdinandum fecimus certiores, nec alium existimamus hac in re eius esse animum, quam quo noster est. Non possumus itaque maiestatem vestram rursus non vehementissime rogare, ut si nihil aliud, saltem adversam huius temporis conditionem, seum diligentius consideret. Christiani fere omnes mutuis inter se armis atque odiis dissident et conflictantur. Turcus adeo nobis instat, ut vere proximo ad huius regni excidium omni impetu, conatu ac furore sit venturus. His si maiestatem vestram alio bello distractam viderent, quid non adversum nos audebit? maior illi accedet animus, magis vires nostras infirmas aliqui contemnet. Rogamus maiestatem vestram, cui regnorum nostrorum salus, non minus quam Polonia incolumitas solet esse cura, non gravetur sed id quod saepe contendimus, inducis Britennis antequam eaeant, qui quinquenni-um aut annos saltem tres adire, subditos autem omnes arbitrium et voluntatem vestre maiestatis ac nostram, in conventu pro festo divi Thoma apostoli celebrato, amplexos et servatos fuisse credimus,

5

cum vestre quoque maiestatis intersit,
ut inducie tantisper differantur, dum ma:
iori nostrum omnium commoditate re:
bus Britanicis nos, et ceteri Domini ar:
bitri et commissarii possimus intendere,
nostrum autem et serenissimi fratris
nostri archiducis erit, ipsi quoque domi:
no magistro Prussia persuadere, ad quod
eum posse adduci non dubitamus, ut
has novas inducias libens sit ample:
xurus. Quibus de rebus bonum atque
ultimum, et quale rerum nostrarum ac
temporum ratio postulat, responsum, à
maiestate vestra expectamus, eandemque
optime ac felicissime valere cupimus,
ui nos nostraque omnia uti patrio a:
mantissimo unice commendamus. Buda
anno Domini millesimo quingentesimo vi:
gesimo quinto, die duodecima Ianuarij.

[Faint, illegible handwriting, likely bleed-through from the reverse side of the page.]